

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11



*Pr. Co. num. 29. P. 28. 26.*

73

3

DIATRIBE JURIDICA  
brevisimam

JURIS AD CRE-  
SCENDI

1670 26

*P. 28. 26.*

*σκιαγραφίαν exhibens,  
in qua,*

DEO vires largiente,  
PRÆSIDE

MAGNIFICO ACADEMIÆ ALTDORFINÆ H. T. RECTORE,  
VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO,  
ET EXCELLENTISSIMO,

DN. ERNESTO CREGEL,  
ICTO CELEBRATISSIMO, ILLUSTRIS REIP.  
NORIMB. CONSILIARIO SPLENDIDISSIMO,  
DIGESTOR. P. P. EGREGIE MERITO,


DOMINO, FAUTORE, ET PRÆCEPTORE  
SUO DEVOTE COLENDO,

*ad diem XVI. April. A. C. MDC. LXX.*

*à commilitonibus exerceri cupit*

MATTHÆUS SLUTERUS, Hamb.

A. & R.



ALTDORFI

Typis Viduæ Joh. Leonh. Winterbergeri Univers. Typogr.

KOENFRIED  
UNIVERS.  
ZVIALLE



*Faint handwritten text at the top of the page.*

DIATRIBE JURIDICA

*provisum*

JURIS ADORRE  
SCENDI

*compositum exhibens*

Deo vices legentis

PRÆSIDE

MAGNifico ACADEMIAE ALTDORFENSIS R. R. RECTORIS

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, COMITATISSIMO,  
ET EXCELLENTISSIMO

DN. ERNESTO CRUGEL

ICTO CELEBRATISSIMO, ILLUSTRI R. R. R. R.  
NORMIS CONSILIARIO SPENDIDISSIMO,  
DIGNISSIMO R. R. REGIE MERITO

DOMINO, FAVORIS ET PRÆCEPTORIS

Suo devoto Colendo

Altdorf. XVII. April. M. DC. LXX.

*in commissionibus exercitiis*

MATTHIAS SLUTERUS, P. R. R.

A. C. R.

*Faint handwritten text below the signature.*

*Faint handwritten text below the signature.*

Typis Vidue Joh. Leonh. Winterbergeri Univer. Typogr.



§§§§§: (3): §§§§§



D. A.

*Exercitatio unculæ nostræ partes duæ*

*sunt: quarum prima Jus Adcrescendi ἑπικῶς ex-*  
*hibet, altera πρὸς βληματικῶς.*

PARTIS PRIMÆ

THES. I.

**V**ocabulorum, *Juris, & Adcrescendi*, ori- Onomatolo-  
go lucidior est, quàm ut eruere illam gica.  
sit pretium operæ. Synonyma pauca  
sunt. Ulpianus l. 13. §. 2. ff. de her. Inst.  
l. 3. §. 1. de usufr. adcr. utitur verbò *Accedere.*  
Dionys. Gothofr. ad l. 7. ff. de R. 7. por-  
tionem reliquis heredibus *Adhærescere* adserit. Idem  
Ulpianus in l. 16. ff. quib. mod. usufr. am. adpellat *Jus con-*  
*junctionis*: quanquàm hæc adpellatio ad eam juris ad-  
crescendi speciem solùm referatur, quâ jus hoc acqui-  
ritur per conjunctionem, factam ex voluntate testa-  
toris. Græcis *προσπέξῃσις*, Germanis *das Recht der*  
*Anwachsung* vocatur. Aliàs *adcrescere* in l. un. C. de  
*clasticis*, idem denotat, quod *adnasci*. Aliter in c. un. §. è  
*contrario de invest. de re al. factâ 2. t. 8.* accipitur. Ra-  
rius, quod in *Calvini Lex. Jurid.* observatum, *adcrese-*  
*re* pro *diminui* nonnunquàm in jure usurpari: for-  
tè ex hac ratione, quod *pr. Inst. de exher. lib. c. l. 4. C. de*  
*lib. præter. vel exher. filia, & præter filium aliæ per virilem*  
*sexum descendentes personæ præteritæ institutis he-*  
A 2 redibus

redibus ad crescere dicuntur : per quod ipsum dimi-  
nuitur portio eorum, qui sunt instituti.

II.

*Definitio.*

Definitur J. A. à Bachov. in Tr. v. 2. d. 13. th. 3. l. A. inf. per  
jus nanciscendi, vel acquirendi portionem, quæ de-  
fecit. Mihi describere hoc loco jus ad crescendi placet,  
cum paulò latius de eò edifferam, quàm aliàs fieri con-  
suevit, quòd sit *jus aggregandæ rem rei, à sociò in eadem  
re conjunctò, derelictam vel amissam, ad conservandam  
portionem socii, ut plurimum autem defuncti volunta-  
tem, & hereditatum individuitatem.*

III.

*Definitio-  
nis explica-  
tio.*

Consideranda hîc veniunt & definitum, & defini-  
tio. De priori th. I. dictum, posterioris enodationem  
paucis do. Cur *jus* genus constituatur, ex ipsò defi-  
nito constat, nec explicatione indiget. Est autem  
*jus aggregandi rem rei*, (sive jam occupatæ, sive  
nondum). Utor *rei* vocabulò ob vocis latitudinem,  
cujusmodi hîc requiritur: non enim ea tantùm con-  
tinet, quæ actu in portione illâ sunt, quæ ad crescit,  
sed & quæ in futurum evenire poterunt, putà, quæ per  
actiones, & persecuciones queunt acquiri: hæc au-  
tem omnia in se continere adpellationem *rei* patet ex  
l. 23. ff. de V. S. *Socium in eadem re conjunctum* dico. Socii  
namque vox est laxa. ita eadem res si duobus legatur,  
nominantur socii §. 3. inst. de obl. quæ quasi ex contr. nasc. nec  
non domini servi communis §. ult. Inst. de donation. l. 1. §.  
2. de usufr. ad cresc. Cæterùm consultò *ejusdem rei* men-  
tionem injeci: in diversis enim rebus valor hujus juris  
nullus est l. 84. §. 12. de leg. I. Necessum autem est, ut res  
aggreganda vel *derelicta* vel *amissa* sit. *Derelictio* hîc  
bifariam fit: vel *voluntariè*, si e. g. legatarius propriò  
motu legatum spernat, §. 8. Inst. de leg. I. un. §. 11. C. de Cad.

toll.

coll. vel involuntariè, veluti cum illi, qui lege institui prohibentur, instituuntur: hi enim involuntariè ut plurimum hereditatis partem relinquerè coheredibus coguntur, & hæc involuntaria derelictio consistit in verbo amissam. Finale denique causam continent verba descriptionis reliqua, ubi socii, non successoris fit mentio, quoniam jus ad crescendi extra casus ultimæ voluntatis in manumissione etiam locum invenit d. §. ult. Inst. de donat. per individuitatem verò intelligitur tam legitima, quam testamentaria. sola autem conservatio voluntatis defuncti nimis angustus est finis, quia tantummodò occupatur in hereditate testamentariâ.

IV.

Tribuo jus ad crescendi in hereditarium & non-hereditarium. *Hereditarium* voco, quod in hereditatibus, iisdemque cognatis occurrit. *Non-hereditarium*, quod sine hereditate subsistit. Hereditarii tres facio partes, quarum duæ priores versantur circa singulas res, veluti legata & mortis causâ donationes, tertia verò circa res universas, veluti hereditates. Non-hereditarii species unica complectitur servum communem manumissum. d. §. ult. Inst. de donat.

V.

De legatis & mortis causâ donationibus primùm. *Juris ad crescendi hereditarii pars prima & secunda.* Liceat autem hîc præfari de legatis, quantum ad meliorem materiæ præsentis intellectum satis est. *De legatis & mortis causa donationibus.* Olim hereditas secundum leges XII tabb. legatis non tantum delibari, verum etiam onerari & exhauriri poterat. Idque ex hac lege: *Paterfamilias uti legasset super pecuniâ tutelæve suæ rei, ita jns esto.* Hinc legata circa res universas etiam fuisse quondam occupata, non obscure demonstratur. Hodie in singulis tantummodò re-

bus consistere liquet ex definitione *Florentini l. 116. ff. de leg. 1.* ubi legatum *hereditatis delibatio* vocatur, i. e. deductio alicujus particulæ. Ostendit idem pronomen *quid* in d. defin. *Florent.* imò verò expresse id colligitur ex *pr. Inst. de leg. & Tit. ff. C. & Inst. de lege Falcidiâ.* Ejusdem conditionis sunt & *mortis causâ donationes*, quippè ad exemplum legatorum redactæ per omnia *§. 1. Inst. de donat.* Habet verò jus ad crescendi in singulis rebus, tam corporalibus, quàm incorporalibus legatis locum: e.g. cum ita legatum est: *Titio fundum do, lego. Cajo eundem fundum do, lego;* vel ita: *Titio & Cajo hunc fundum æquis partibus do, lego.* Aut: *Titio & Cajo fundum do, lego.* Quibus casibus alterò legatariorum deficiente, quacunque tandem de causâ, vacua portio ad crescit collegatario, *§. 8. Inst. de leg. 1. 142. ff. de V. S.* Atque hætenus rei incorporali, s. usufructui ad crescendo cum corporali convenit. Nam usufructu duobus conjunctim legatò alteròq; legatariorum deficiente, pars vacans ad crescit *collegatario, l. 1. pr. de usufr. adcr. non proprietati*: haut obstante, quòd cum personâ extinguatur usufructus *§. 3. Inst. de usufr.* Idem juris est in mortis causâ donationibus, *l. un. §. 14. C. de Cad. toll. Secus de Saxonico jure, Nov. Augusti Elect. part. III. Const. 2. & Lubecensi, teste magnifico Dn. Meviò in 7. Lub. lib. 1. tit. 9 art. 1. n. 13. p. 296.*

VI.

*Universares*, id est, hereditas, acquiritur vel *testamentò factò*, vel *sine testamentò*. Factò testamentò, jus ad crescendi oritur vel ex *merâ Institutione*, vel ex *institutione cum conjunctione*. Ex *merâ institutione*, v. c. testator aliquis hereditate in duodecim partes distinguens, absque ullâ conjunctionis nota, quæritur ad quem

Jurii ad-  
crescendi  
hereditarii  
pars tertia.  
De heredi-  
tatibus.



quem perveniat residua quarta? Respondet Imperator §.7. *Inst. de her. inst.* & *Ulp. l. 13. §. 2. ff. eod.* ad crescere eam singulis tacite pro hereditaria parte, & perinde haberi, ac si ex triente scripti essent: vel, uti Ulpianus l.c. inquit: Si duos heredes ex quadrante scripserit testator, hereditas ejus residua accedit, ut ex semisibus videantur scripti. Forsitan hoc ex æquitate magis, & ad vitandas controversias, quæ plerumque accedere solent hereditatum divisionibus, constitutum, quam stricti juris ratione: nam qui ita instituit heredes, ut aliqua superstes maneat hereditatis portio, ex eâ alium adhuc heredem scribere, vel legatis illam, in Codicillis fortè, impendere videtur voluisse. Inde (quia in testamentis plenius voluntates testantium interpretari suevimus l. 12. de R. 7.) stricto juri magis congruens, ut antè, quam ad crescit pars vacans institutis heredibus, ii, qui testamenti aperiendis adsunt, curiosè circumspiciant, an præsto sint, quos testatorem adungere voluisse vero fit simile. Ponderandæ hîc circumstantiæ, consideranda penitus verba testamenti, pensitandi sermones defuncti, & si qua sunt alia ejusdem generis. Si nihil tale adpareat, ad crescendi jus permittendum est. Sed hæc exercitii potius gratiâ adduxi, quam ut juri nostro aliquid derogatum velim. Jus ad crescendi *ex merâ institutione* profectum sequitur illud, quod *institutioni cum conjunctione* originem debet. E.g. Titius Mevius & Sejus heredes instituuntur, iiq; sibi invicem conjuncti sunt: quòd si quis eorum ab aditione prohibeatur, portio deficientis cæteris, qui supersunt, ad crescit, l. un. §. 3. *C. de cad. toll.* nam qui conjunctim instituuntur, omnes & singuli ab initio solidum habent, & per concursum

cursum demum partes *d.l.un. §.11.* Si igitur non fiat concursus, id est, si quidam ex institutis adire non possint, vel nolint, reliqui solidum, quod sub initium habebant, retinent: quæ res Doctoribus ansam præbuit excogitandi jus *non-decrescendi*; cujus usum quærunt in *conjunctione*, quam vocant, *reali*, de quâ postea. Jam dispiciamus de adcrescendi jure, quod *sine factô testamentô*, vel in *legitimis hereditatibus* adquirimus. Cum autem in hereditate, quæ ab intestato venit, nulla esse possit expressa conjunctio, quia nulla institutio est, neque duplex hîc, quô adquiramus jus adcrescendi, sed unicus tantum est modus, & describitur in *§.ult. Inst. de SCo Orphis: si ex pluribus legitimis heredibus quidam omiserant hereditatem, reliquis, qui adeunt, adcrescit illorum portio.* Consentit *l.9. ff. de suis & leg. her. l.3. §.ult. l.4. 5. de bon. poss.*

VII.

*Juris ad-  
crescendi  
non-heredi-  
tarii spe-  
cies unica:  
De servo  
communi  
manumis-  
so.*

Aliis, qui de J. A. scripserunt, quæ jam succedit species de *servo communi manumisso*, refertur inter homonyma, à quibus divortium facio. Nam & hîc offendas formam juris adcrescendi, quæ est in cæteris ejusdem juris speciebus, putà aggregationem ex conjunctione ortam. Cum verò totus extet titulus de *Comm. servo manum.* in Codice, ex quô species ista peti potest, & hodiè vix ulli sit usui, exemplo duntaxat eam in præsens declarabo tali: *Titius & Sejus communem servum possident jure domini, Sejus servum pro domini sui portione manumittit (totum enim non potuit manumittere sine socii consensu, per l.28. ff. comm. div. l.11. 54. 74. ff. de R. 7.)* quia autem nemo simul servus & liber esse potest, pars domini, quam Sejus remisit, adcrescit Titio *§. ult. Inst.*

*dit. de*

*de. de donat.* Sed stetit hoc jus tantum ad Justiniani tempora, qui tanquam æquitatis custos statuit, ut, in prædicto casu, servus ab altero dominorum manumissus plenam libertate perfrueretur: alteri vero domino, æstimato servus solveretur media pars pretii. *l. 2. d. tit. C. de comm. servo manum. §. 4. Inst. de donat.*

VIII.

Datis in conspectum J. A. speciebus, progredior ad alia, & quidem *Subiectum, Causas, Effectus, Attributa, Subjectum & Cognata.* Circa *subjectum* nolo multus esse in variis <sup>quod.</sup> personarum, quæ juris hujus capaces sunt, divisionibus explicandis, quæ melius ex ipso ff. volumine hauriuntur, præprimis ex *tit. de Statu hom.* Breviter: pertinet jus ad crescendi non solum ad eos, quorum jure Civili est commercium, sed & illos, quorum non est: id est, non modò ad homines liberos, sed etiam ad servos. De servis sanè hereditatis capacibus adsunt leges clarissimæ totò *tit. C. de necess. serv. her. inst. §. 1. 2. Inst. cui & qu. ex caus. man. non lic. §. 4. Inst. de her. qual. & differ. §. c. & c.* Possident iidem *vicarios l. 73. §. ult. ff. de leg. III. l. 6. 15. de peculio leg.* unde consequens est, J. A. iis quoque competere, ceu hereditatis, & dominii in servum communem accidens; quod quidem quin causam sui principalis sequatur, non est dubium *l. 129. 178. ff. de R. 7. c. accessorium 42. de R. 7. in 610.* Eorum quibus nihil ad crescit seriem dabit thesis ultima.

IX.

Causam, quæ efficit, ut pars aliqua parti ad crescat, proximior non videre est, quam portionis ad jiciendæ *derelictionem, vel amissionem, ex CONIUNCTIONE vel LEGIS vel HOMINIS dependentem, de quâ jung. inf. th. XI.* Novi à nonnullis LL. XII. Tabb. statui

B

cau-

*Causa efficiens.*

*virtute  
homo  
ad mag  
multa*



causam Efficientem propter *l. Pater 29. §. ult. ibi: jure antiquo, ff. de leg. II. sed perperam; rectius nonnullis media Jurisprudencia, propter l. si ita 74. ibi: auctoritate Galli Aquilii ff. de heredib. inst. aliis lex un. C. de Cad. toll. causa est Efficiens. Verum istæ sunt causa remotiores, quæ transeant impræsentiarum: mihi res est cum proximâ, derelictione nempe, & amissione, quippe feriente scopum acrius. Via relinquendi duplex est: I. Si coheres legitimus, vel institutus, vel collegatarius hereditatem, aut legatum spernit §. 8. *Inst. de leg. I. un. §. 11. C. de Cad. toll.* II. Si alter dominorum communem servum manumittit. *l. 1. C. de comm. servo man. §. 4. Inst. de donat.* Amittendi ratio quadruplex imprimis occurrit: I. Si coheres, vel collegatarius ante testatoris mortem decedit, §. 2. *Inst. de leg. I. 63. de her. inst. II.* Si coheres, vel collegatarius maximam vel mediam capitis diminutionem patitur. *V. Coll. Argent. de legat. th. 43.* III. Si conditio deficit *l. 5. §. 2. ff. quando dies leg. vel fid. ced.* IV. Si indignus æstimatur hereditate vel legato coheres vel collegatarius *l. tit. ff. de his, quæ ut ind. au ff.* & hi præcipui modi sunt, quibus portio existit vacua. Ratio verò generalis, cur portiones ita deficientes ad crescant cæteris, est naturale conservationis & perfectionis desiderium omnibus rebus inditum: cum omnis pars à toto avulsa cum eodem denuò cupiat uniri, ut loquar cum Dn. D. Beiero ad Schnobel. *diff. VI. th. VI. n. 1.* Imò absurdum est, ejusdem hereditatis partem agnoscere, partem respuere *l. un. §. 10. C. de Cad. toll.**

X.

Omnes res, quæ in hominum commercio sunt, jure ad crescendi acquiri posse vel inde evincitur, quòd ex ipsa hereditatum objectum, hereditates autem potissimè

Materia  
circa  
quam, vel  
objectum.

tissimum fundamentum sint juris A. Nec servus communis aliud est, quàm res in hominum commercio constituta. Quænam res verò speciatim sint in commercio, quænam exemptæ, liquet ex *tit. ff. & Inst. de R. D.* Hic ex *th. nostrâ V.* supra repeto, intelligi tam universales quàm particulares, tam incorporales, quàm corporales. Et nihil interest, corpus aliquod comprehendat res quæ adcrefcit, nec ne. Idque non solum in legato ubi usufructus sine proprietate legari potest *l. 1. ff. de usufr. adcr.* sed etiam in re universâ obtinet, *l. 50. ff. de hered. pet.* ibi n. *hereditas*, etiam sine illò corpore, juris intellectum habere dicitur: id est, hereditas est, & vocatur meritò illa quoque, in quâ nullum corpus, neque pecunia, neque fundus, neque supellex, neque aliæ res corporales, sed merè incorporales veluti obligationes & jura reperiuntur.

XI.

Jam ad formam in quâ ipsa J. A. essentia vertitur. *Forma.*  
 Est verò forma *aggregatio ex conjunctione* manans, dum portio deficiens adcrefcit. Conjunctio hæc tribus modis fit: I. Cum ex testatoris voluntate heredes vel legatarii junguntur *l. 89. de leg. III. l. 142. de V. S. II.* Cum ex lege heredes legitimi sibi invicem conjuncti sunt *l. 9. de suis & legit. her. l. 1. §. 9. ad Scutum Tertull. l. un. C. quando non pet. part. petent. adcr.* III. Cum duo Domini per servum communem sociantur. *Legitima conjunctio*, quæ sine defuncti voluntate in hereditatibus locum habet, ex cognatione fluit: qualem autem hanc esse oporteat, docet *Nov. 118. & tit. Inst. de her. qua ab int. def. Conjunctio, quæ inter dominos communem servum possidentes intercedit, gignitur vel ex jure gentium, vel ex Civili.* Ex *gentium jure*; si in bellò duo simul ca-



piant hostium aliquem, captus labitur in potestatem utriusq;, quemadmodum in unius is, qui ab unô capitur, §. 2. *Inst. de 7. N. G. & C. Ex jure Civili*; si duobus forte dono detur servus, aut vendatur pluribus, aut aliis justis titulis acquiratur: qui quidem tituli acquirendi servum communem, etsi non sint omnes juris civilis, veluti emptio venditio, aliique qui adduci possent, sed potius juris gentium, per d. §. 2. *Inst. de 7. N. G. & C.* propter solemnitates tamen, quæ iis adjectæ sunt, Civilis esse juris dicuntur. Propero ad conjunctionem, quæ ex apertâ defuncti voluntate nascitur: hæc enim juris interpretibus multum negotii facescit. Estque tripartita: I. *Realis*, ut: *Titio fundum do, lego. Sejo eundem fundum do, lego*, §. 8. *Inst. de leg.* Solent, qui ita conjuncti sunt etiam *disjuncti* vocari d. §. 8. non quòd re ipsâ conjuncti non sint, sed propter omissionem particulæ copulativæ &, que, cum, l. 142. ff. de V. S. II. *Verbalis*. Ut *Titio & Sejo fundum meum aquis partibus do, lego*. Hic probè tenendum, quòd vocabula: *aquis partibus*, vel alia idem insinuantia, ut: *pro virilibus portionibus*, l. 5. §. fin. si pars her. pet. ex parte, l. 6. de reb. dubiis, ab hac verbali conjunctione abesse non possint: nam si demantur, nova emergit conjunctio, quæ III. *Mixta* adpellatur, nimirum si idem fundus Sejo & Titio legetur, h. v. *Titio & Sejo eundem fundum do, lego*. Dicuntur, qui sic conjuncti sunt, *excellenter*, nec non *re & verbis simul* conjuncti. Fac. d. l. 142. de V. S. Describitur autem nobis conjunctio hæc, quam ex apertâ defuncti voluntate proficisci diximus, in genere, quòd sit, cum res eadem, sive hereditas, sive legatum l. 80. ff. de leg. III. pluribus ex testamento, vel ab intestato per fideicommissum, fac. §. 10. *Inst. de fideicommiss. her. concursu*

curfu dividenda relinquitur. In quâ descriptione illud præcipuè observandum, quòd res relicta à testatore vel à defuncto ab intestato per fideicommissum pluribus conjunctim concursu demùm (idem supra th. VI. monui) dividenda sit: ab initio enim singuli solidum habent *d. l. 80. de leg. III. l. 3. pr. de usufr. ad cr.* Idque non solum in reali, *l. un. §. 11. C. de Cad. toll. & mixtâ, §. 8. Inst. de leg. l. 7. pr. de reb. dub.* sed etiam in verbalis obtinet conjunctione: Quod quidem manifestum fit ex *d. l. 7. de reb. dub. & jure ad crescendi locum habente tam in verbalis, quam in reali & mixtâ conjunctione, l. 16. §. ult. de leg. I. l. 41. pr. de leg. II. & c.* quâ de re plura in parte II. hujus differt.

XII.

Finem constituo duplicem: I. *Generalem, ut ne pars* <sup>Causa finalis.</sup> *deficiens maneat vacua; & hinc rerum dominia in incertô sint: quâ de causâ, præter hoc remedium, Justinianus Imperator usucapionem quoque invenit pr. Inst. de usucap. l. 1. ff. de usurp. & usucap. II. Specialem, & quidem voluntatis defuncti individuum conservationem, si jus ad crescendi consideres quoad successiones particulares; uniformem verò defuncti representationem, si relatio fiat ad successionem universalem, sive hereditatem. Jus enim nostrum non patitur, ut aliquis ex parte testatus moriatur, & ex parte intestatus (quarum rerum naturaliter inter se pugna esse dicitur *l. 7. ff. de R. 7.*) id quod futurum esset si pars ab unô coheredum derelicta vel amissa cæteris coheredibus non ad cresceret. Nam non hi tantùm intestati moriuntur, qui aut omninò testamentum non faciunt, aut non jure faciunt, aut quorum testamentum ruptum, irritumve factum est: verùm etiam quibus ex factô testamento nemo heres existit, pr. Inst. de her. que ab intest.*



*intest. defer.* Sicque *in totum* intestati decedimus. *Ex parte* intestatus moritur, cujus hereditas partim est adita, partim non: Atque ob id excogitatum jus ad crescendi: quod tanti vigoris est, ut licet in parte tantum instituti heredes sint, in reliquâ nemo sit institutus, nihilominus, quæ residua hereditatis portio est, institutis ad crescat, *l. i. §. si ex fundo 4. l. 10. ff. de her. inst.* Rationem jam jam dedi, *ut ne ex parte testatus aliquis, & ex parte intestatus moriatur, d. l. 7.* quæ tamen non caret exceptionibus: loquitur enim de *paganis*, qui apud Romanos, demptis militibus, reliqui erant Cives Romani, *pr. Inst. de mil. test. l. i. §. 1. ff. de testam. milit.* Ergo milites hæc lege non teneri perspicuum est. Imo lucidiùs id claret *ex §. 5. Inst. de her. Inst. h. v. nisi sit miles, cujus sola voluntas in testando spectatur.* Hinc colligas, *in militum hereditatibus ad crescendi juri locum non esse*, quia cessante fine cessant etiam media, *l. si duobus 37. ff. de test. milit.* nisi hæc voluntas militis defuncti probata fuerit, quòd, omitte alterò, ad alterum voluerit totam redire hereditatem, *d. l. 37. de test. milit.* Plures exceptiones petantur ex commentt. ad *d. l. 7.* Et propter hunc finem specialem posteriorem Dn. Schnobelius *Disp. 16. th. 21. f.* & cum ipsò alii Doctores videntur statuere *testatorem in testamento suo jus ad crescendi prohibere simpliciter non posse.*

XIII.

Cæterum jure ad crescendi dominium portionis *Effectus, & deficientis* acquiritur conjuncto, & præterea actio, *Consequens.* si cedere vacantem portionem is, penes quem est, detrectet, vel *petitio hereditatis*, per tot. tit. ff. & C. de her. pet. quæ datur heredi pro adeptione hereditariæ portionis, vel ex testamento *personalis*, rei *vindicatio*, & *hypothecaria*,



*pothecaria*, competentes legatario præprimis, ad consequendam portionem legati §. 2. *Inst. de leg. l. 1. C. Comm. de leg. & fideic. Personalis* conceditur, quia heres ex quasi contractu coheredi vel legatario obligatus est, §. 5. *Inst. de obl. qua quasi ex contr. nasc. l. 5. §. 2. de obl. & action. Realis*, propter dominium, quò gaudet in portione deficiente coheres, vel collegatarius. *Hypothecaria*, ob tacitum pignus, quod habent in hereditariâ re coheredes, vel collegatarii, *d. l. 1. C. comm. de leg.* Ubi notandum, hasce actiones concurrere *electivè*, non *cumulativè*, *l. 76. §. 8. de leg. 11.* Una enim electa cæteras consumit *l. nemo ex his 43. §. 1. ff. de R. 7. exceptâ hypothecariâ*, quæ multò infirmior est, quàm ut reliquas expungere actiones queat. Quæris fortean, quænam actio ab illò, cui communis servus adcrevit, moveri possit? Ego, si manumittens socius nolit adcrevendi jus permittere socio suo, sed conetur servum omninò præstare liberum, emanare *actionem de dolo* autumo. Nam dolose hic agere manumittentem dominum ex doli mali definitione *l. 1. §. 2. ff. de dolo malo*, constat. Jam ubi alia actio non est, vel dubitatur, an alia sit, de dolo actionem dandam putat Labeo *l. 7. §. 3. eod.*

XIV.

Circa adfectiones occurrit I. *Juris accrevendi Vis*: *Attributa* quæ tanta est, ut vel invitis & nolentibus adcrevat *sive adfectiones.* relicta particula, *l. 35. pr. l. 53. §. 1. de adq. vel omitt. her. l. un. §. 10. C. de Cad. toll. l. testamento 6. C. de impub. & aliis subst. II. Singularitas.* Est enim *in J. A. hereditariò*, & præcipuè *in usufructu* singulare, 1. quòd usufructus, ut ut jam agnitus sit, nihilominus, si postea omittatur ab uno collegatariorum, adcrevat *l. 1. §. 3. de usufr. adcr.* 2. quòd pars usufructus adcrevat etiam non habenti amplius partem

partem suam, per alienationem fortè, vel amissionem  
*l. 10. eod. 3. si* proprietas fundi duobus, ususfructus uni le-  
 gatus sit, quòd non trientes in ususfructu habeant, sed  
 semissem duo, semissem fructuarius. Idem contra, si  
 duo fructuarii, & unus fundi legatarius sit, *l. 9. de usufr.*  
*adcr. In J. A. non-hereditario* singulare est, quòd ad imi-  
 tationem servi communis manumissi jus adcrendi  
 etiam in libertorum adsignatione inveniatur, *l. 3. §. ult. l. 4.*  
*§ ff. de adsign. libert.* per quas leges si duobus adsignatus li-  
 bertus fuerit, altero jus suum derelinquente vel amit-  
 tente, deficientis portio adcrendi illi, qui jus suum  
 retinet.

XV.

Cognata  
 generatim  
 recensita.

Sequuntur adfinia, supremò tantum digitò attin-  
 genda, cum non nisi illuminandæ rei inserviant. Cu-  
 jusmodi sunt: *Alluvio; Vis fluminis; Alveus; Specifica-  
 tio; Accessio; Edificatio; Plantatio, & satio; Scriptu-  
 ra, & pictura;* ac denique *Donum per liberalitatem Im-  
 perialem in duos collatum:* quæ haut incommodè jus  
 adcrendi innominatum nuncupaveris. De singulis  
 ως εν παρόδω.

XVI.

Cognata  
 speciatim  
 recensita:  
 De Allu-  
 vione.

Per alluvionem adcrendi nobis id, quod flumen a-  
 gro nostro adjicit, ut intelligi non possit, quantum  
 quoquò temporis momentò accedat, §. *præterea 20. Inst.*  
*de R. D. l. 1. C. de alluv. Add. l. 30. 56. de acquir. rer. dom.* Hoc in  
*d. §. 20.* notandum, quòd alluvio per incrementum latens  
 definiatur: quæle quid Principum quoque, & Statuum  
 Imperii dignitati libertatique tribuit, sensimq; eam  
 hòc modò crevisse adserit Dn. Mylerus in *delin. de Princ.*  
*& Stat. J. R. G. præc. jur. C. IX. p. 58.*

XVII. Sicuti

XVII.

Siouti per incrementum latens agro nostro terra adcrefcit, ita etiam per *fluminis vim* de vicini prædiò detracta, nostro accedit, dummodò longiore tempore fundo nostro adhæferit, arboresquæ, quas secum traxit, radices egerint, §. *quod si vis 21. Inst. de R.D. l. 7. §. 2. de A.R.D.* Similiter *alveus à fluviò relictus*, iis, qui proximè ad ripam prædia possident, adcrefcit; novus verò alveus per quem labi flumen incipit, illi, cujus flumen est, cedit, id est, publicus fit. Nec novus alveus, post tempus aliquod fluviò in priorem iterum effusò, veteri domino restituitur, sed eorum incipit esse, qui propè ripam prædia colunt, §. *quod si naturali 23. Inst. de R.D. l. 7. §. 5. de A.R.D.*

*De Vi flu-  
minis &  
Alveo.*

XVIII.

*Specificatio* est, cum ex *alienâ*, vel *suâ & alienâ* materiâ species fit. Cujus verò dominio species ista sub- jicienda sit, quærit Imperator, in §. *cum ex alienâ 25. Inst. de R.D.* & post multam Sabinianorum ac Proculiano- rum ambiguitatem facit cum Gajo l. 7. §. 7. *de A.R.D.* mediam arripiens sententiam, (prout aliàs facere con- suevit, §. 4. *Inst. de donat. §. 1. 2. Inst. per quas pers. cuiq. adq.*) distinguendo: si species ad priorem materiam re- duci possit, eum videri dominum, qui materiæ domi- nus fuerit: sin; adcrefcere artifici: exemplò vini & olei, quæ in priorem reverti materiam cum nequeant, adcrefcunt specificanti: quòd si partim ex suâ materiâ, partim ex alienâ speciem aliquam quis fecerit, dubi- tandù non est, quin fiat dominus, qui fecit: hinc Titio, ubi ex suâ & Mevii lanâ vestimentum conficit, adcre- fcit vestis, modò habeat bonam fidem, id est, credat, materiam esse suam, vel ex donatione, vel ex alio ju- sto titulo. Etenim si malâ fide fecerit, ad exhibendum actio & rei vindicatio, pro consequendâ materiâ, do-

*De Specifici-  
catione &  
Accessio-  
ne.*

C

mino



mino datur, & specificans, qui formam addidit, perdit operam. V. Colleg. Argent. de A.R.D. th. XXX. Corvin. Enchir. Inst. de R.D. p. 68. Etiam si autem faciens gaudeat justô titulô, materiæ tamen pretium solvere domino tenetur, ne locupletetur cum alterius jacturâ, l. 23. §. 4. ff. de R.V. Idem fermè juris in *accessione* est, e.g. si quis alienam purpuram vestimento suo intexuerit, §. 26. Inst. de R. D.

XIX.

De Edi-  
ficatione,  
Plantatio-  
ne & Sa-  
tione, Scri-  
pturâ &  
Picturâ,  
Dono ex  
liberalita-  
te Impe-  
riali.

Ex tribus præcedentibus juris adcrefcendi cogna-  
tis quodammodò judicium fieri potest de reliquis: sci-  
licet eum, qui in suo solo ex alienâ materiâ ædificave-  
rit, ædificii dominum esse; secus si ex suâ materiâ in a-  
lieno; eum, qui plantam alienam in suo solo posuerit,  
plantæ dominum esse; si contrâ fecerit, fundi domino  
adcrefcere, modò utroq; casu radices egerint plantæ,  
eâdemq; ratione, quâ plantæ coalescunt terræ, fru-  
menta quoq;, quæ fata sunt, solo cedere: eum, in cu-  
jus membranâ vel chartâ scriptum fuerit, scripturæ  
dominum esse; qui verò in alienâ tabulâ pinxerit, huic  
tabulam adcrefcere, §. 29. 30. & seqq. Inst. de R. D. l. 7. ff. de  
A.R.D. De liberalitatis Imperialis lociis l. un. C. Si liber.  
Imp. soc. sine her. dec. sic se habet: *Jubemus, ut si quis fortè ex  
his quibus communiter aliquid à nobis donatum sit, nullò  
herede relicto deceserit: ad consortem potius solatium,  
quàm ad personam aliam pars decedentis perveniat.* Exce-  
ptionem suggerit hîc Gothofredus ex 2. F. 1. §. sin autem  
& 2. F. 12.

XX.

Opposita.

Perlustravimus hætenus jus adcrefcendi quomodo  
constituatur: videamus jam paucis, quibus modis dis-  
solvatur, quales uno verbo jus decrefcendi appellare si-  
ceat, arg. §. 7. Inst. de her. Inst. ubi Imperator jus decrefcendi  
vocat, cum, in testamento quatuor ex tertiis partibus  
instituitis, singulis tacitè decrefcit aliquid ut quatuor e-  
mergant portiones, & ita quarta hereditatis veniat sin-  
gulis.

gulis. Nimirum cessat vel *ex defuncti voluntate*: vel *ex lege*. *Ex defuncti voluntate* I. Si in unâ eâdemq; re legatâ conjunctos à jure ad crescendi expressè prohibeat, l. 12. ff. de R. 7. & Nov. 22. c. 2. eaq; defuncti voluntas non solum in legato conjunctis reverenter habenda, sed etiam in hereditatibus, per d. Nov. 22. intellige testamentariis, modò ne ex parte testatus, & ex parte intestatus de cesurus sit defunctus: in hereditatibus autem legitimis jus ad crescendi prohiberi non potest, quia ibi sola est legalis conjunctio: II. si uni conjunctorum quidam sit substitutus l. 2. §. 8. de bon. posf. sec. tabb. l. un. §. 3. 4. C. de Cad. toll. III. Si conjunctus non agnoscat portionem, vel restituere eam cogatur l. 83. de ad. qu. vel omitt. her. IV. Si fructus prædiorum ob alimentum conjunctim sit legatus l. 57. §. 1. de usufr. V. Si partem faciat, qui partem non capit. Borcholt, in §. 8. Inst. de leg. n. 11. VI. Si duobus legatum erat olim *per damnationem*, l. 7. de leg. II. *Ex lege* cessat ad crescendi jus, quando servus communis pro parte manumissus alteri domino non ad crescit; sed totus liber evadit, §. 4. Inst. de donat. l. 1. pr. C. de servo comm. man.



## PARS ALTERA

Sistit ad crescendi jus *προβληματικῶς*, occurritq; dubiis primæ Partis,

Q. I. An non totum testamentum infirmetur, si (de quò th. III. supra) persona hereditatis incapax cum capaci instituitur, atq; hinc jus ad crescendi cesset?

R. N. quia pro non-scripto habendus est incapax, & dicitur in §. Videamus 7. Inst. de her. inst. & l. 13. §. 2. ff. eod. pars, ex quâ personæ ineptæ ad capiendū ex testamento instituuntur, vacans: ideoq; sine dubio ex d. §. 7. Inst. de her. inst. & l. 13. §. 2. ff. eod. ad crescet heredibus institutis legitimè. Add. omninò Bachov. in Tr. v. 2. d. 13. th. 3. l. H. §. ult.

Q. II. An legata (de quibus th. V.) hodieq; circa res universas occupentur?

R. N. Nec obstat §. 18. Inst. de leg. l. 21. 22. ff. de leg. I. ubi grex quippè

res universa legari posse traditur: est enim grex universa res non respectu hereditatis, sed sui ipsius, quatenus scilicet ex pluribus corporibus est collectus.

Q. III. *Quomodo juri adcrendi ex merâ institutione orto (suprà th. VI.) conveniat cum definitione nostrâ, cum nulla esse hic derelictio vel amissio videatur?*

R. Etsi non aperta sit amissio, tamen tacita est, & fictione juris: is enim, quem testator ex reliquâ parte voluit heredem facere, quia inveniri non potuit, utique amittit portionem suam, ex quâ institui debebat.

Q. IV. *Quando secundum jus novum plenè liber incipiat esse servus ab alterò dominorum manumissus?*

R. Ante pretium solutum liberum eum non evadere existimo, l. 1. §. 2. C. de comm. servò man.

Q. V. *An portio invitis adcreseat?*

R. Heredibus adcrecere nolentibus ac invitis d. l. un. §. 10. C. de Cad. toll. exceptis casibus, de quibus adeatur Donell. l. 7. c. 12. Duar. l. 2. de f. A. cap. 1. & quidem cum onere æris alieni, & legatorum, quæ à deficientibus erant relicta, arg. l. un. §. 4. C. de Cad. toll. l. 10. ff. de R. f. Circa legatarios autem distinguendum est, ut re conjunctis pars deficiens adcreseat invitis, sed sine onere; verbis autem, & verbis ac re conjunctis, volentibus, sed cum onere, d. l. un. §. 11. vers. fin. verò non omnes C. de Cad. toll.

Q. VI. *An in verbis tantum conjunctis voluntas testatoris, quod hereditarium jus adcrendi attinet, causa efficiens (saltem remota; de proximis enim supra th. IX. egimus) dici possit?*

R. Negare coguntur illi, qui jus adcrendi verbis tantum conjunctis denegant. Ego adfirmativam tueor cum iis, qui jus adcrendi verbaliter conjunctis tribuunt. Nam si defunctus nolisset juri adcrendi locum esse, aut non conjunxisset heredes, vel legatarios, aut plenius voluntatem exposuisset.

Q. VII. *An verbis tantum conjuncti jure adcrendi fruantur?*

Adfirmativa sententia, quam amplector, probatur (1) ex l. 5. f. l. 6. 7. pr. de reb. dub. ubi talis casus proponitur: Tibi & posthumo hereditatem

tem

tem restituere quis rogavit, vel *ex parte* te, & *ex parte* posthumum heredem instituit, legatumve similiter, vel fideicommissum dedit. Quæritur, an, si natus non sit posthumus, totum tibi aderescat? Putat Gajus *d. l. 7.* commodius dici totum ad te pertinere, quasi *ab initio* tibi *solido* relictò. Ibi verò sermonem esse de *conjunctione verbali*, patet ex *d. l. 6.* verbis: *ex parte: (2.) L. 16. §. fin. de leg. l.* ubi eodem exemplò res luci exponitur: nam si testator, ait ibi Pomponius, Titio & posthumis *viriles partes* dari *voluisset*, vel etiam id *expressisset*: totum legatum Titio debetur, non natò posthumò: (3) *L. 5. §. fin. Si pars her. pet.* in quâ ne dubitatur quidem an portio deficiens aderescat *ob verba-lem conjunctionem*, sed id tantum quæritur, an conjunctus, qui *ignorat* portionem suam, à derelictæ partis aditione prohibeatur? & neq; hunc excludi adserit dicta *l. 5. & l. 21. §. 3. ff. de adq. vel om. her.* (4) *L. 89. fin. de leg. III.* in quâ *verbis conjunctus* expressè *potior* esse dicitur *re conjuncto*, quod subsistere non posset, si verbis conjunctus pro disjuncto aut nudè tali haberetur, cui pars data esset: (5) Si penitiùs inspiciantur *l. 15. §. 1. de leg. l. l. 63. de her. inst. l. un. §. 10. vers. sin verò quidam C. de cad. toll. & c.* in quibus de jure aderescendi ex professò agitur, adparet, non eximi verbis conjunctos, cum *in genere* de conjunctis verba ibidem fiant. Nec obstat, (1) quòd verbalis conjunctionis *in §. 8. Inst. de leg.* nulla injiciatur mentio: noluit enim ibidem Imperator singula conjunctionis genera definire, sed exemplò unò atq; alterò conjunctionem tantummodò declarare. Nec novum est, ut textus cum textibus jungantur. Addatur *l. 89. de leg. III. l. 142. de V. S.* (2) Neq; *l. 66. de her. inst.* nostram infringit sententiam: quippè in quâ singularis nobis casus obfertur. Nam in eodem testamentò Titius, Gajus & Mevius heredes instituuntur; Titius *re conjungitur* cum Gajo & Mevio: Gajus & Mevius sibi denuò seorsim conjunguntur *verbis*, ita: *Titius heres esto, Gajus & Mevius æquis ex partibus heredes sunt.* Est itaq; duplex conjunctio, *realis & verbalis*, (*neq; tamen mixta*) quarum ne altera (realis) effectu careat, statuit Pomponius, ut deficiente alterò verbaliter conjunctorum, veluti Gajo vel Mevio, realiter quoq; conjunctus, Titius scilicet, in deficientem partem eat. Et in hoc singulari casu id tantum differentia est, quòd verbis conjuncto *non* aderescat *soli*, sed *re conjuncto* simul. Imò accuratè considerata lex pro meâ facit adsertione: quia enim jus aderescendi ideò negatur, quòd non conjungere, sed celerius testator loqui voluisse dicatur,

sequitur è contrariò sensû, si conjungere voluisset, locum esse juri ad-  
 crescendi: (3) Quod ad *l. i. pr. de usufr. adcr.* attinet, ibi planè nulla est  
 conjunctio: uti docet vox *separatim* & particula *ceterùm* vim ha-  
 bens restringendi. v. *Dionys. Gothofr. hic*: (4) Magis *l. ii. de usufr. adcr.*  
 stringere videtur, h. v. *fructuarii separatim videntur, non minus,*  
*quàm si* æquis portionibus, *duobus ejusdem rei fructus legatus fuis-*  
*set. Unde fit, ut inter eos jus ad crescendi non sit.* Cæterùm, si hîc  
 quòq; in veram legis mentem inquiras, omnis animo scrupulus faci-  
 lè eximetur, quia nec ista lex de conjunctione loquitur. Utut enim  
 verba: *æquis portionibus*, vel *similia* conjunctionem verbalem sa-  
 pient: inficias tamen ire nemo poterit, eadem alii quoq; sensui esse  
 obnoxia, ut sit sensus, duobus ejusdem rei fructum esse legatum  
*æquis portionibus*, id est, denominatâ *in specie* parte rei dimidiâ, cu-  
 jus usumfructum singuli capiant. V. g. Titio & Sejo ejusdem fundi  
 usumfructum do, lego: ita ut *æquis portionibus factis*, Titius ejus  
 partis usumfructum, quæ ad orientem, Sejus verò, quæ ad occasum  
 porrigit, percipiat: amotâ omni conjunctione. (5) Deniq; non ob-  
 stant verba in *l. 89. de leg. III. quoniam semper partes habent legatarii.*  
 Nam probè cognoscendum est, quò hæc animo Paulus scripserit. Esse  
 probandi causâ adducta, indicat particula: *quoniam*. Jam, *quid pro-*  
*bent*, videndum. Nimirum *verbis conjunctos* esse, *non etiam re* qui-  
 bus ita legatur: *Titio & Sejo fundum æquis partibus do, lego.* Cum  
 igitur ostendant dicta verba, qui sint verbis conjuncti, sequitur, quod  
*ab initio solidum*, & per consequens jus ad crescendi verbaliter con-  
 junctis non auferant: sed id velint, *in verbis conjunctis semper re-*  
*quiri, ut ex æquis partibus legetur: quod si secus fiat, vel non le-*  
*getur duobus ex æquis partibus, aut aliis ejus generis vocabulis, non*  
*esse verbis conjunctos.* Taceo clarissimos JCros, & inter illos hujus  
 Academiae Antecessores cum beatè defunctos, tum superstites (ex  
 quibus honoris causâ nomino Præceptores meos honoratissimos,  
*Magnificum Dn. D. Cregelium*, nec non *Excellentissimum Dn. D.*  
*Textorem*) me ad stipulatores habere. Reliquas, easque non leves  
 objectiones discursui relinquo. Add. *Bachov. d. v. 2. in Tr. d. 13. th. 3. l. C.*  
*Hunn. l. 2. var. resol. Tr. 8. Q. 7.*

Q. VIII. An re conjunctis jus ad crescendi permittatur?  
 Calvinus in suo lexico jurid. re, inquit, conjunctis non competit jus  
 adcre-



*ad crescendi*: sed potius *jus non-decrescendi*. Rectius *Argent. Collegium* *ib. 40. de legatis*, statuit, *in re* convenire nobiscum, *in nomine* verò discrepare, qui *jus non-decrescendi* defendunt.

Q. IX. *An in mixtâ conjunctione jus ad crescendi sit?*  
 R. Maximè. Idq; non solùm argumentò à *minoribus ad majus*: (nam si *inter re tantum* conjunctos *jus ad crescendi* est, multò magis *inter re & verbis simul* conjunctos erit, utpote quos firmiùs testator conjunxit,) verùm etiam *ex l. 16. §. 2. de leg. 1.* quæ, si Titio & Posthumis, inquit, legatum sit, non natò posthumò, *totum Titius* vindicabit.

Q. X. *Cujus ergò usus est illa conjunctionum differentia, si omnes earum species eundem effectum habent?*  
 R. Excogitatam à J Ctis esse differentiam, ut eò meliùs dignosci queat, quid inter eos, qui verè conjuncti sunt, & eos, qui videntur esse conjuncti, intersit, *argum. l. 84. §. 12. de leg. 1.*

Q. XI. *Cujus dominio ad crescat alveus à flumine occupatus, & deinde iterùm derelictus?*  
 Dixi parte I. hujus disertationis *ib. 17.* ad eum pertinere alveum, qui propè ripam prædium possidet, non verò ad eum, qui agri à flumine derelicti olim fuit dominus *per §. 23. Inst. de R. D. l. 7. §. 5. ff. de A. R. D.* Nec obloquantur verba ultima dictæ *l. 7. §. 5. de A. R. D.*

Q. XII. *An novam speciem faciat, qui spicis excutit frumentum, & per consequens an excutienti ad crescat excusum?*  
 Adfirmat §. *cum ex 25. Inst. de R. D. & l. 7. §. 7. vers. est tamen, de A. R. D.* Contrarium probare videtur *d. §. 7. vers. videntur tamen, ibi: qui excusit spicas, non novam speciem facit, sed eam, quæ est, detegit.*

Addi plures poterant quæstiones: *an in actibus inter vivos, & contractibus jus ad crescendi valeat? an hereditate venditâ jus ad crescendi ad hereditatis emptorem pertineat?* & id genus aliæ. Sed potiores tantùm exercitii gratiâ movere lubuit. Præsenti, eòq; opere imperfectò, futurum, Dei munere, perfectius erit. Potest interim (ut cum Cicerone \* meo finiam) non solùm aliud mihi ac tibi, Lector, sed mihi ipsi aliud aliàs videri.

\* *in Orat. cap. 71.*

**F** *Ama tibi crescet, SLUTE RE, ad crescet honosq;  
 Nam Pietate vires, sedulitate viges*

Tu

Tu cum fratre tuo. Salve par nobile fratrum,  
 Quod superat socios, aequiparatve pares  
 Virtute, & vitæ morum probitate fideq;  
 Jô, vobis Mater gaudeat atq; Pater!  
 Non noxa Herois gnati, sunt gloria vestro  
 Exemplo, & veniens gloria major erit.

De utroq; bene educato Filio, & cum virtute rectè atq; ho-  
 neltè vitam traducente, qui uti lumen accipit ex geni-  
 tore, sic ipse genitori affundet clarissimum, magno PA-  
 TRI DN. JOANNI SLUTERO, Jcto & Cancel-  
 lario Mecklenburgico, S. CÆSARÆ MAJESTA-  
 TIS & libertatis Germanicæ propugnatori germano

gratulatur ex animo

PRÆSES.

ECce novos fructus, patrii nova pignora amoris,  
 Quæ propter placeat genuisse aluisseq; gnatos!  
 Fortunata Parens! gemino cui sidere fulget  
 In sobole proprio laus inelyta parta labore,  
 Illustratq; lares, seu Mecklenburgica tellus  
 Ingenuos fingat fratres, seu Jena celebris  
 Excipiat gremio & matros dimittat in oras  
 Noriadum; nunquam virtutem occasio pulchra  
 Destituit, nunquam patulo languescit agone  
 Ardor, & egregiis intenta indultia rebus.  
 Jamque adeo Pietas sacrisque exercita curis  
 Ora SEVERINI nostro sonnere Lycéo  
 Eloquio valida, & gravibus stillantia rerum  
 Dogmatibus, plausu dum plenus & omne multus  
 Exit auditor, patriæ gratatus honorem.  
 Huc equidem ad sacram vestigia Avita cathedram  
 Signavere viam, & dum spem successibus æquis  
 Fata benigna beant, laribus nova lumina præfert  
 MATTHÆUS dubio Fratrem sub Marte lacescens,  
 Excitus exemplo Patris, civilia jura  
 Sedulus indagans, quæ jus, quæ injuria possit  
 Accrevisse bonis, ut quæ natura cuique,  
 Quæ leges tribuunt, capiat possessor eodem,  
 Quo sibi jure velit quivis: prælata tropæa  
 Sectari Te porro decet, MATTHÆE, secundam  
 Ordiri telam. Tales Respublica poscit  
 Nostrâ ætate Viros, domus hanc SLUTERIA prolem  
 Jactat, ut possit mensuram implere Parentum.

Nihilis. & Eximio Dn. Resp. avitarum & paternarum  
 laudum cumulum adæquari ex animo optat

JOH. CONRADUS DÜRRIUS  
 S Theol. & Philos. Mor. P. P.

Altdorf, Diss., 1670-71

X 242 1345

ULB Halle

3


006 650 694



V317







B.I.G.

Farbkarte #13



*lib. no. num. 29. P. 22.*

E JURIDICA  
visimam  
**ADCRE-**  
**NDI**

3

1670 26

via exhibens,  
quâ,  
s largiente,  
E SIDE  
ALTDORFINÆ H.T. RECTORE,  
RO  
SSIMO, CONSULTISSIMO,  
LENTISSIMO,

**TO CREGEL,**  
IMO, ILLUSTRIS REIP.  
RIO SPLENDIDISSIMO,  
GREGIE MERITO,  
**E, ET PRÆCEPTORE**  
TE COLENDO,  
A. C. M DC. LXX.

us exerceri cupit  
LUTERUS, Hamb.

**& R.**  
DORFI

interbergeri Univers. Typogr.

